PANEGYRIN ANNVAM,
SEMPITERNAE MEMORIAE
MAGNI MVSARVM MAECENATIS,

JOHANNIS DIETERICI TETTAVII,

SVPREMI BORVSSIAE CANCELLARII,
SVMMI TRIBVNALIS ET RERVM FEVDALIVM PRAESIDIS,
SACRAM
IX. CAL. IVL. A. N. C. CIↃ IↃCC XXII.
CELEBRATVRI,
AD AVDIENDAM ORATIONEM PVBLICAM
OMNES, QVI LIBERALIVM ARTIVM STVDIA,
PATROCINIO, FAVORE, AMORE,
PROSEQVVNTVR,
INVITATOS CVPIVNT,
RECTOR ET SENATVS,
REGIAE ACADEMIAE REGIOMONTANAE.

REGIOMONTI, LITTERIS REVSNERIANIS.

F 3.

Nihil homini, qui erectioris aliquantum animi est, naturale magis, quam ut famae studeat, et bonam apud alios sui existimationem cupiat. Honestus, virtutique verae deditus, quamvis praecipue pura et intaminata recte factorum conscientia securus gaudeat, multum tamen laetabitur, si, cum bonus et integer sit, talem quoque ab aliis se haberi sentiat. Pravus, et in vitia proclivis, nisi perfricatae penitus frontis sit, omnemque jam pudorem deposuerit, id solicite dat operam, ut, si non satis caste, caute ad minimum agat, atque, cum bonus esse non studeat, bonus tamen videri allaborat. Qui enim infamiam plane non veretur, eum non tantum improbissimum, sed et impudentissimum omnium omnino mortalium jure dixeris.

Atque ex hoc naturali bonae apud alios existimationis desiderio nascitur, ut generosis etiam mentibus nihil acerbum magis accidat, quam si famam periclitari videant, nihilque iniquiore animo ferant, quam si quis existimationem calumniis lae-

Pol. 8, III 723/a /Est.

Biblioteka Uniwersytecka Stanisławki w Toruniu

laedere aggrediatur. Cum enim delicatissima res fama sit, quae ex levissimis saepe causis rubiginem contrahit, tanto magis sibi cavendum intelligunt, ne quid labis existimationi suae affricetur, tantoque gravius vindicandum autumant, si, aliena maledicentia, maculam sibi adspersam innotuerit.

Sed et hinc saepe modum in tuenda existimatione non servari, ab iis praecipue, videas, qui non satis clare perspiciunt, qua potissimum ratione, honestum nomen acquiri, acquisitumque conservari debeat. Quod ipsum cum juvenibus praesertim, qui litterarum studiis in publicis sapientiae officinis, Academiis, incumbunt, evenire saepenumero soleat, ut communi proverbio: *Vita et fama, pari passu, ambulant;* abutantur, et, dum existimationem tueri cupiunt, gravissimum ejus perdendae periculum subeant, non alienum fore credidit Orator Academiae Ordinarius, si occasionem ex Tettaviana sollemnitate arriperet, et de *veris parandae a Cive Academico existimationis rationibus, justisque defendendae limitibus* verba faceret.

Non

Non tamen intermittet, quin ad auctorem Panegyris hujus, *Virum*, dum viveret, *Perilluſtrem, Generoſisſimum, et Excellentisſimum, JOHANNEM DIETERICVM TETTAVIVM, Magnum Borusſiae Cancellarium, Tribunalis et rerum feudalium Praeſidem*, deflectat orationem, cui, cum meritorum in patriam, tum liberalitatis in Academiam magnitudo, et mirificus virtutum omnium concentus immortalem in Borusſia exiſtimationem peperit; vota additurus publica, ut antiqua nobilitate incluta, et plurimorum, ſago togaque, heroum progenitrix gens, perpetua proſperitate, floreat.

Cui Panegyri, ut honorificam et exoptatisſimam praeſentiam ſuam, Patroni, Fautores, Cives litterariae Reipublicae, proxima Martis, decima matutina, in Auditorio Majori, commodare non dedignentur, eſt, quod ea, qua decet, obſervantia et affectu, univerſos et ſingulos rogatos volumus. P. P. XI. Cal. Jul.

A. N. C. CIↃ IↃCC XXII.